Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2899
Quelle:
Copyright:

&c. et pariter, ni fallor, ad *Wicleffum* ſpectat; dicitur enim apud praedictos Literatores *Confeſſio* ejus *de Eucharistia* incipere: *Sæpe confeſſus ſum et adhuc.* quae verba optime quadrant principio *Codicis* noſtri et in eo tantum omiſſa videntur. Adnexae ſunt *Autoritates PP.* quibus opinionem ſuam ſtabiliri putat Noſter.

XVI. *fol.* 335. Notae in *Epiſtolam I. Pauli ad Corinth.* a C. VII. usque ad finem, hoc initio: *De quibus autem ſcripſiſtis mihi. conſequenter inſtruendi ſunt Corinthij de Matrimonio contrahendo et de contracto non diſſolvendo* &c. Item in *Epiſtolam* II. ab initio usque ad C. X. v. 1. in quo abrumpuntur. Initium ejusmodi: *Informatis corinthijs de 4. ſacramentis in hac 2. epiſtola inſtruit eos* &c. Excerpta maximam partem e *Poſtillis Lyrani.*

XVII. *fol.* 359. *Martinus Lupac contra papam: In Gieſtwina Anno chriſti 1462.* Quae de hoc Viro ad diem obitus ejus *feria III. Paſch. 1468. 20. April.* notat ὁμωνυμος *Procopius* in *Ephem.* haec ſunt: Sacerdotem fuiſſe, *Johannis*que *Rokyczanae* Collegam et ſuffraganeum, Legationem ad Concilium *Baſil.* obiviſſe, ſcripſiſſeque complura a ſe viſa. In *Narratione* de Legat. *Bohemorum*, quae *Actis Concilii* in edit. *Labb.* T. XVII. praemiſſa eſt, inter Oratores invenio *Martinum de Chrudim*, qui locus Noſtri fortaſſe patria fuit. Iam ille in *Cod.* praeſente criſin ſeveram exerit in *Reſponſum Pii II.* datum Oratoribus Regis *Georgii* eod. anno 1462. quod vulgavit *Ge. Guil. Leibnitius P. II. Mantiſſae* ad *Cod. J. G. dipl.* p. 159. quodque in *Codice* Criſin, quam praecedere debebat, excipit. In hoc porro Reſponſo *Pius* Regem, Regnumque hortatur, ut ab innovatis Ritibus decedant, maximeque Communionem ſub utraque Specie improbat, hoc initio: *Superioribus diebus cum audiuiſſemus vos Oratores* &c. Quae inde inferat *Lupacius*, ipſo ejus exordio proditur. *Hec reſponſa pape manifeſte declarant antichriſtum iam imperare. Eo* (antea?) *plene putabam antichriſtum ante tempus veniſſe, nunc autem cognoſco quia venit ſucceſſive* &c. Praecipue impugnantur, quae Pontifex contra utramque Speciem obmoverat, ejusque verba ſingillatim recitantur et perſtringuntur. Multa inſuper occurrunt ad hiſtoriam *Compactatorum* facientia. Papae *Reſponſo* ſubjecti ſunt aliqui contra illum *Verſiculi* areſcentis venae.

DCCCIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 253. f. partim lineis longis, partim columnatim exaratus ſequentia complectitur: I. rubro: *Incipit tractatus utilis ſuper totum officium miſſe editus et compilatus per fratrem bernhardum de parentinis ordinis predicatorum provincie tholoſane et conuentus Orthesij in Vaſconia, ſicut legit albia* (Albiae, Albigae) *pluribus auditoribus, ſolempnibus doctori-* 234